

conspirant, ut quasi concentum & musicam olympicam, Platonica illâ multò jucundiozem, efficiant. Quid enim jucundius illo concentu, quo verum vero consonat? Quid suavius illâ harmoniâ, quâ diversæ partes ita inter sese aptantur, ut congruum sonum reddant omnes? Atque hinc est illa methodi cognatio, quam cum intellectu & memoriâ hominis intellectivâ habet; quâ de re *Keckermannus cap. 1. de methodo ad can. 3.* pulchrè ait; quòd ordo sit mater & lumen intellectus, & memoria; quia cum omnia, velut in catenâ annuli, inter sese cohæreant, & partes instar fluctuum marinorum altera alteram velut impellat, ut sese memoria & recordationi offerat; idè nullum presentius memoriæ subsidium, quàm apta rerum dispositio ac tractationis regulatus ordo.

---

*Cap. 3. Methodus synthetica & analytica in genere.*

**D**ivisio methodi perfectæ est, quâ alia est universalis, alia particularis. *Vide Zabarell. lib. 2. de meth.*

Methodus universalis est, quæ systema integræ alicujus disciplinæ disponere docet.

Estque synthetica, vel analytica. *Illâ dicitur alio nomine ordo componens, item compositivus; hîc, resolvens & resolutivus.*

*Petrus Ramus l. 2. Dialect. cap. 17.* unicam tantum doctrinæ methodum esse docet, quæ ex Aristotelis sententiâ ab universalibus ad singularia, seu à generalibus ad specialia progrediatur. Sed hæc sententia est erronea. Ratio I. Quia methodus doctrinæ alia est sapientiæ, alia prudentiæ: quam divisionem & ipse innuere videtur, quando docet de crypticis methodi. Certè si syllogismus rectè dividitur in perfectum & imperfectum; etiam methodus sic rectè distribuetur. Par enim utrobique ratio. Sicut enim syllogismus perfectus dicitur, quia

An methodus sit unica?